



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 78. Breve Apostolicum Saxoniae Electori ab Aleandro traditum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

**Sæcul. XVI** batur, quocum etiam Romam petebat.  
**A.C. 1520.** Per itineris hujus opportunitatem perspecta erat Leoni X. viri præstantia, qui eundem frequenti colloquio honoratum Romæ detinuit; unde Pontifex, cum Aleandri merita probe explorata haberet, eo neminem ad secundam demandati negotii executionem magis idoneum fore arbitrabatur. Nec eum sua fefellit opinio: Aleander enim summa cum laude hanc legationem obibat, tam morum suavitate, quam doctrina orisque facundia ubique commendatus.

### §. LXXVIII.

#### *Breve Apostolicum Saxonice Electori ab Aleandro traditum.*

**H**ujus duntaxat itineris socium habebat Aleander Marinum Caracciolum, qui Pontificis nuncius erat ad Carolum V. Imperatorem; ambo igitur Coloniam, ubi tum Saxonice Elector agebat, contendunt, ubi quoque sat benevole excipiuntur, habitaque frequenti consultatione Electori Breve Apostolicum porrigit; his Literis summus Pontifex Electorem de Constitutione adversus Lutherum nuper promulgata certiorem reddebat, rogabatque, ut hanc legem in tota ditione sua executioni mandari curaret, huncque Religiosum vel ad errores suos

*Ulemburg  
in vita Luth.*

suos infra præfixum tempus revocandos Sæcul. XVI.  
 compelleret, vel illum Romanæ Curiæ A. C. 1520.  
 Ministris traderet, si vero hæreticis suis  
 opinionibus contumax insisteret, eundem  
 saltem e Saxonia expelleret. Ceterum  
 Papa Hieronymo Aleandro Eckium  
 quoque Doctorem adjungebat, eo consi-  
 lio, ut ambo junctis viribus, Religionis  
 caussam in Germania, si possent, conclu-  
 derent, ac tandem dirimerent; quapro-  
 pter Hieronymus hac de re Electorem  
 certiores fecit, enixe rogans, ut sua eos  
 familiaritate honoraret, atque ad pera-  
 genda Apostolica iussa illos consilio, &  
 ope juvaret.

*Raynald. hoc  
ann. n. 60.*

### §. LXXIX.

#### *Responsum Electoris Saxonici.*

Verum Elector horum preces flocci pen-  
 debat, nimio in Lutherum affectu  
 captus, & quamvis tum verbis alienum  
 ab eo animum ostenderet, nec palam se  
 ejus fautorum profiteretur, nihilominus  
 sat aperte monstrabat, nolle se, aut Lu-  
 therum carceri dare, aut eundem Curiæ  
 Romanæ tradere; quapropter Aleandro  
 hoc duntaxat responsum dedit, maximi *Raynal. n. 6.*  
 ponderis rem id esse, proin maturam *Ulemb. I. c. c. 5*  
 exposcere deliberationem, se quid hac  
 in re decrevisset, nunciaturum. Tertia  
 effluebat dies, qua scripto animi sui pro-  
 positum